


Gottfried Schwarz

**De Perpetvo Pietatis Et Practicae Veritatis Connvbio : Commentatio Praemissa
Orationi Solemni Qvam Pro Loco In Facvltate Theologica Academiae Ernestinae
Rinteliensis Rite Ac More Maiorvm Capiendo A.D. Novembr. MDCCXLIX**

Rintelii: Typis loh. Godofr. Enax, [1749]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1025402502>

Druck Freier  Zugang






Fig 1603^{1.2.}

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

DE
PERPETVO
PIETATIS ET PRACTICAE
VERITATIS
CONNVBIO

COMMENTATIO
PRAEMISSA
ORATIONI SOLEMNI

QVAM
PRO LOCO

IN FACVLTA TE THEOLOGICA
ACADEMIAE ERNESTINAE RINTELIENSIS
RITE AC MORE MAIORVM
CAPIENDO

A. D. NOVEMBR. CIO DCCXLIX

DICERE DECREVIT

GODOFREDVS SCHWARZ

THEOLOGIAE PROFESSOR PRIMARIVS, CONSISTORII
ECCLESIASTICI ASSESSOR ET PER COMITA-
TVM HASSO-SCHAVENBVRGICVM
SVPERINTENDENS.

RINTELII
TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.

Fig - 16032.

3



Ruere plerosque hominum, scientes volentes, in tristitia quaeque flagitia et crimina, utinam exaggeratius videri posset dictum, quam verius. Sed rem in aperto esse, et quotidianus rerum usus comprobat, et vetus morum inter doctores disputatio abunde testatur. Cum enim peccata et vitia peccatoribus ipsis maxime sint exitialia, quaesitum ab omni aetate inter sapientes est, qui fiat, ut homines, generoso quodam instinctu, ad felicitatem quidem adspirent, contrario tamen nobilissimae naturae suae ordine in mala proni ferantur, bona refugiant; eoque instituto verae felicitatis sine excidant?

Alii, crassam partim, qua multi mortalium laborant, in practicis ignorantiam, partim errores, quibus in vita ducuntur agenda, plurimorum vitiorum fontem esse, contenderunt. Sane, si quis nulla boni ac mali gaudeat scientia, nulla omnino concipi potest ratio, cur aut bonum cupiat, aut malum auerfetur. Nam, ut ignoti nulla, ex veteri proverbio, est cupido, sic nulla quoque auersatio. Quare ignorantia, in practicis, foecunda sine vlla dubitatione omissionis, ut audiunt, peccatorum mater est existimanda. Tum si qui erroribus ad vitam vtantur instituendam, bonum in malorum, malum in bonorum numero habeant, non possunt non grauissimorum quotidie, tam omissionis quam commissionis, rei euadere peccatorum. Fugient bonum, quoties boni patrandi, patrabunt malum, quoties mali fugiendi, eis adfulserit occasio. Sic enim sunt imbuti, sic sunt instituti. Estque hominum istorum multo miserrima conditio. Tantum namque abest, ut
vlla

vlla eos scelerum subeat poenitentia, nullius culpaē sibi conscios; vt et voluptate perfundantur peccando, persuasi, id se egisse, quod bonos viros decet: voluptatis praemio grauius in dies peccare alliciantur. Errore deceptus Saulus iustas poenas luere protomartyrem Stephanum, laetatur in sinum: atque ecce! statim flagitatum ab iteras, quibus munitus plures, de coetu Stephani, in vincula coniiciat, et ad supplicia trahat durissima (*). Damnans deinde atque detestans errorem, in quo versabatur, ignorantiam suam accusat (**). Quomodo ignorantiam potius, quam sacrae opinionis errorem? Recte habet vtrumque. Peccare se in grauissimos diuinae veritatis testes, ignorabat: credens, se Deo Israelis acerbitate sua facere gratissimum, errabat. Scilicet, tantum est, vt mores hominum corrigantur emendenturque in melius, vitiorum deminuat, laeta virtutum seges efflorescat, dispellere ignorantiae noctem, errorum nubes et nebulas disiicere, veritatis lucem vniuerso humano generi circumferre.

Sed de his nulla est disceptatio. Hoc quaeritur, quomodo, si qui vel maxime bonorum malorumque non ignorent discrimen, bonum sine vlllo probent errore et commendent, reprobent ac detestentur malum, scientes tamen volentesque bona, in praxi vitae, fugiant, mala amplexentur? In duas hic, cum alias, tum nostra in primis memoria, doctores iuxta ac censores morum abiisse deprehendimus sententias. Alii distinctae et solidae cognitionis arguebant defectum, quo homines, in discernendis bonis et malis, iisque veris et apparentibus, id est, sensuum tantummodo iudicio et rationis dictamine talibus, plerique omnes laborent. Caput itaque rei in emendatione

A 2 intel

(*) Act. VIII, 1. et IX, 1. 2. (***) 1 Tim. I, 13.

intellectus constituerunt, operosissimumque et ipsi susceperunt, et totis viribus aliis commendatissimum voluerunt esse laborem, efficiendi, vt non solum doctores in scholis, sed singuli etiam in republica ciues, de moribus philosopharentur. Alii, vanum esse conatum, qui in veritatibus moralibus subtiliter consumitur limandis, sibi persuadentes, omnia ad exercitia pietatis, *παραίνεσιν και άσκησιν*, referenda esse statuerunt, nihilque non egerunt, vt pietatis haec studia per totum orbem, publice et priuatim, feruerent christianum. Nos, neque distinctae et solidae cognitionis inimici, neque praxin pietatis in odium adducere parati, ne in tam reprobum nos dederis sensum, o deus! vt tamen emendandorum inter homines morum negotium melius procedat, perpetuum inter pietatem et practicam veritatem connubium conseruandum esse, censemus. Id qua ratione fieri queat, paucis docebimus, expositis prius contrariarum sententiarum defectibus atq; incommodis; idque pietatis et veritatis, non litē cuiquam mouendi, studio.

A distinctae et solidae cognitionis patronis vt ordiamur, cur, maxime distinctam maximeque solidam cognitionem prae se ferentes, quid dico praeferre? ore et scriptis in claram lucem exponentes, iidem viuunt turpiter, vel certe simulatae non nisi virtutis edunt specimina? Si fermocinantes de moribus audias, si resolutionum demonstrationumque catenas chartis suis illinentes adspicias, diuinum hominum os et doctas exosculeris manus. Iures enimvero, tam certas ad virtutem perueniendi regulas eos tradere, vt cum problematum solutionibus certare possint geometrarum, cum illis subscribunt, id quod erat faciendum et demonstrandum. At si quis, paulo cautus, ad mores et studia demonstratorum adtendat, nihil eos cum virtute commune habere, notabit, nihil ab infimae plebis cupiditatibus, vt maxime eas demonstrando explodant

dant ac damnent, in exercendo abhorrere, obseruabit. Cum tantum ignotos lenociniis fallant verborum, notis ambitione, auaritia, vanitate, luxuria et turpitudine sua sint derisui, ne tamen merito rideantur et digito velut monstrentur, vaniloqui, ingenii illud acumen, quod, subtiliter de virtutibus et vitiis disputando, compararunt, paulatim ad impugnandos bonos mores, cupiditates prauas defendendas, conferunt. Seculum nostrum, scientiae et sapientiae gloria prae ceteris sibi suffenum, appellamus testem, an vnquam animosius morum fuerit oppugnata integritas, patrocinio tam aperto dignatae sanctitatis vitae omnisque honestatis corruptelae? Si nulla aetas eo est progressa licentiae, sintque sublimia ingenia doctisque artibus exulta monitoribus aspera, dubitarene adhuc possumus, vnde atrox illud, aeuo nostro, in diuinas literas exarserit odium, earumque auctoritatem conuellendi studium? Dicat ratio, ab affectibus prauis depurata, quidquid velit, tam commendandae virtutis, quam profligandorum vitiorum, gratia: vbi tamen affectus dominium in hominis animum obtinuerint perturbati, eadem ipsa ratione, velut gladio quodam, abutentur, ad iugulandam virtutem reginam, inque solium collocandum vitiorum monstrum. Non ignota loquor iis, qui norunt, quid vel publice scribatur, vel intra priuatos parietes differatur, denique a morum agatur doctoribus, Mercurium in ore tantum, non in pectore, gerentibus. Cum quibus si ingeniose ratiocinantur paginae sacrae, ferre forte illas possent, habituri, quod respondeant ingeniosius. Nunc cum regia voce in seruos inuehantur vitiorum, suos eis circulos turbent, gaudia corrumpant, iram Dei et grauissimas poenas, in hac inque futura vita aeternum persoluendas, annuntiant, fit, vt illud odium, velut Achabus in Michaeam vatem, in doctorem hunc concipiant sibi molestum, nihil quippe

quippe boni, temper infauſta quaeque, capiti ſuo ominan-
tem (*). Haec irarum in ſacram ſcripturam, quibus do-
ctum et ſubtile ſeculum noſtrum flagrat, princeps ſine du-
bio eſt cauſa, quamuis ipſi eius hoſtes veram ſtomachi ſui
originem ſaepenumero ignorent: latere vero eam in ſi-
nu ſuo ſtatim deprehenderent, ſi illuſtre Chriſti domini
conſilium audire, eiusque doctrinam ante ad praxim vi-
tae transferre vellent, quam procaciter eam ſolicitare et
impugnare inimice (**).

Experientia igitur magiſtra ſatis ſuperque conſtat,
vnos et ſolos in moralibus diſtinctos conceptus, et de-
monſtrationum *ἀκριβεια*, nequaquam ad emendandos ho-
minum mores, promouendam virtutem, vitia ſufficere
deſtruenda. Vetus potius eſt, non vulgi, ſed acumine non
minus quam ſuo candore commendatiſſimorum virorum,
querela, philoſophos, harum rerum ſcientiam ambitioſius
proſitentes, contraria ſuis placitis ſequi omnia. Cui enim
ignota ſunt CORNELII NEPOTIS verba, ex eius ad Cicerone-
nem epiſtola a *Lactantio* ad nos tranſmiſſa? *Tantum abeſt,*
inquit, vt ego magiſtram eſſe putem vitae philoſophiam, beatae-
que vitae perfectricem; vt nullis magis exiſtimem opus eſſe ma-
giſtris viuendi, quam plerisque, qui in ea diſputanda verſantur.
Video enim magnam partem eorum, qui, in ſchola, de pudore et
continentia praecipiant argutiſſime, eosdem in omnium libidinum
*cupiditatibus viuere (***)*. Exprefſiora ſunt, quae idem *La-*
ctantius toto, vnde pauca illa excitauimus, capite cum ex
Cicerone et Seneca tranſcripſit, tum ſuis verbis propoſuit;
ad quae diſcendi cupidos remittimus: philoſophos, vti ne
legant, oramus; ne, viuam et ſpirantem ſui offendentes i-
maginem, conuicium ſibi a nobis de induſtria dici, argu-
tentur; id quod in mentem nobis non venit. Similia
prorſus

(*) 1 Reg. XXII, 8. 18. (***) Ioh. 7, 17. (***) *Lactant. Diui-*
nar. Inſtitutt. lib. III. cap. 15.

prorsus, de reuelatae veritatis doctoribus, legisperitis et Pharisaeis, diuinorum oraculorum clauem, praeter ceteros in sua gente, sibi arrogantibus, queritur Christus; audiendos quidem illos, nequaquam vero imitandos, admonens. *In Mosis, inquit, sede confident Scribae et Pharisei. Quidquid igitur vobis dixerint exsequendum, exsequimini et facite: sed eorum facta nolite imitari. Dicunt enim, nec faciunt* (*). At, si distinctae et solidae cognitionis, in formandis hominum moribus et ad veram felicitatem componendis, tanta foret vis et efficacia, quantam vulgo praedicant, vnde, quae so, accideret, vt professores scientiae illius tam inepte vitam suam instituerent, committerentque, vt per eos male apud vulgus audiret virtutis nomen (**)?

Quare, habeat distincta et solida, qua de agimus, in moralibus cognitio suam vtilitatem; quam summam esse suo docebimus loco: ad regendam tamen ordinandamque vitam quotidianam exiguae aut nullae, si cetera absint, eius sunt partes. Id enim si esset, vnde cognitionis istius prorsus expertes ingens quoddam singularis virtutis declararent studium, eximiumque, non tam phaleratis verbis, quam vitae simplicis, vitae inculpatae, actionibus, probarent ardorem? An enim cadere in homines, theoreticae illius sapientiae ignaros et illiteratos, veram negare sustinebimus virtutem? Ex his enim uero ab omni tempore fuerunt, qui nisi nobis superassent, parum abesset, quin Astraeam cum toto virtutum choro, olim ad coelestes penates, relictis terrestribus, euolasse, non poetice fingendum, sed, vt res est, adfirmandum nobis foret. Profecto, quod de veritatis reuelatae, inter sapientes huius seculi, conditione dixit apostolus, idem de vniuersa inter eos morum disciplina valet. *Non multi, inquit, sapientes secundum carnem cet. sed mundi stultissima deus elegit* (***)
Non

(*) Matth. XXIII, 2.3. (**) Rom. II, 24. (***) I Cor. I, 26.27.

Non quidem nullos omnino, sed non multos, ex sapientibus huius seculi deo ait electos; quibus seculi iudicio stultissimos opponens, quid dicere aliud voluit, quam plures ex istorum numero diuinae complacuisse sapientiae? Par ratio est, si ad vtriusque partis mores adtendas. Sunt enim inter subtilissime doctos bene morati, sed ii non multi: sunt inter indoctos atque illiteratos viri boni virtutisque amantissimi, iique complures. Ex quibus efficitur, ut vnum aliquod vtriusque adsit praesidium, quo in usus suos conuerso, ad virtutis et felicitatis metam pariter accedant. Si qui sunt, qui cognitionis subtilitatem in hunc redigi ordinem moleste ferant, doceant nos, vnde incorrupta illa virtus repetenda complurium? quam ex philosophorum praeceptis adeo non retulerunt, ut, qua iam viuunt sorte, neque accommodati sint ad limatissimarum definitionum sensum, et subtilissimarum demonstrationum vim percipiendam. Et quid de tenera aetate foret, ad amplissimum cognitionis illius lumen caligante, molliore tamen virtutis igne, rotundis regulis, grauibus monitis, dulcibus praemiis, temperatis castigationibus, foueri ac formari non recusante? Aestimemus vtriusque institutionis effectus, scientificae illius et, quam praedicamus, puerilis. Quotus quisque parentum e sinu et gremio suo dimisit filium, extericae artis nostrae beneficio caste integreque educatum, minus eruditum, tanto autem magis moribus amabilem? Sed an, acroamaticis praeceptionibus plenum, istis semper receperit moribus, philosophi euincant, artis suae vim et efficaciam, verbosius forte, quam e re bonae causae foret, nobis commendantes. Institutionis nostrae fragilitatem accusabunt et vitia. Cum enim sponte et conuicti amare bonum adolescentuli non didicerint domi, fieri non posse, contendunt, quin, seueritate custodis remota, apparentium inescari sese patiantur dulcedine bonorum, quae,

quae, non iudicio, sed metu poenae imitioris, tangere hactenus refugerunt. At enim, si ipsis contigisset puerilis ingenii formandi prouincia, an scientificè illud formaturi fuissent? pro foccis, ocreas pueris induissent? Ad captum, credo, aetatis adtemperassent rationum suarum pondera; idque ut facerent, res ipsa monuisset inuitos. Accipimus, quod dant: dare certe coguntur. Quid autem dant, nisi quod a forma decantatae suae rationis discessissent docendi? dant igitur, aliam esse mores emendandi formandique viam, praeter eam, in cuius ipsi laudem velo remoque feruntur. Verum ad priora redeamus. Si popularis illa vitae quotidianae informandae ars fragilitatis, et nescio cuius vitii, est accusanda, quandoquidem, qui ea sunt vsi, desciscunt a priore consuetudine viuendi; vbi dilaudata praestantia illa philosophicae est institutionis, cui tantum abest, ut sui desint transfugae, ut etiam, simul ac discitur, veluti Circaeo poculo, generosissimas animas in formas mutare videatur ignobiliores? Parat enim scientia, nisi pietate temperetur, animum: animus in ambitionem facile degenerat: despicit ambitio mediocria et quotidiana. Quo si qui processere, quid tam procliuè, quam despiciere homines, bona fide boni cupidos, malorum odio incensos, subtiles rationes, cum interpellantur, extricare ignaros? Despectis hominibus, et studia ipsorum primum vilescere, despici deinde et contemni, necesse est. Quorsum vero ista a nobis disputantur? Non sane, ut sublimioris cognitionis causae inuidiam conflemus: sed ut immodicas laudes, quibus nullo morum integritatis adiumento, certissimo potius firmorum verae virtutis praesidiorum exornatur intertrimento, corrigamus, et, vnamquamque artem suo pede metiendam esse, doceamus.

Multa hic philosophos, ut sese expediant, subtiliter audias commentantes. Aiunt enim, non distinctae et solidae

B

cogni-

cognitionis fieri culpa, vt, qui ea initiantur, quique ea sunt instructi, cupiditatibus indulgeant peruersis. Sed, quod ad adolescentulos adinet, in disciplinam ipsorum traditos, in tanta eos, suo iure viuere permiffos, corruptelarum incidere pericula, vt prius perdantur, quam moneri potuissent, quid eis fugiendum, quid sectandum in primis, fit: quae incommoda vitiorum seruos maneat, quae virtutum studiosis proposita brabea: quibus remediis, et contra vitiorum irritamenta pectus praemuniendum, et animus ad virtutis amorem incendendus. O miseros patres, ac terque quaterque infelices! quibus ad infecta praesentissima contagione loca filii sunt dimittendi, iidemque sani ac sospites, scilicet vt sanentur; qui saepe prius pereunt, quam aut vim suam remedia in eis exferere, aut applicari morbo endemio correptis, possunt. Si tanta est locorum, in quibus artem medici nostri exercent, malignitas, vt grauiore saepe morbo inficiantur adolescentes advenae, quam curandos acceperunt: si morbi, in quem vulgo quidem incidunt, tanta est grauitas, vt certissima quaeque ipsorum eludat remedia, quid est, quod in remediorum efficacia plus praesidii collocare, quam pomperia sua a contagione purgare, malint? Scio, suspiraturos hic ingenuos, veritatis et non fucatae pietatis amantes: non inquieturos acutiores. Et certe, si vel maxime conuiuiscere velint, nobis tamen praeterea sunt obtundendi. Dicant enim nobis, quare illi ipsi, qui totam emendandae voluntatis artem sunt ab ipsis edocti, vt etiam magno cum adsensu eam inter alios exercent, mali et sint et perseuerent? Audiamus, quid respondeant. Est, inquit, tanta bonorum malorumque apparentium illusio, tanta concitatorum, ex repraesentatione boni et mali sensitiui, affectuum, in vsu vitae, vehementia, vt appetitus et auersatio sensitiua claritate sua obfuscet appetitum et auersationem rationa-

tionalem. Euenit hinc iis, qui euagantibus affectibus imperare, et appetitum auersionemque sensitiuam regere, nondum didicerunt, vel consueuerunt, quod in mari aperto nauigantibus. Qui, licet siderum motus obseruare, syrtisque et breuia notare, docti sunt; tamen, cum densa nube sepiuntur, ventisque in gyrum agitantur contrariis, consilio exuti, rectae uelificationis cursum deserunt, ac saepe naufragium faciunt. Oratio pulchra sane, si, ut rectori nauis nullum in tempestates, extra se et consilium suum positas, est imperium, ut eas nec prospicere, nec ciere ac componere, possit, ita neque nobis in appetitum et auersionem sensitiuam regimen ullum relictum esset, nullum in affectus concessum dominium. Sed rem secus se habere, diffiteri, quibuscum disputamus, nequeunt; quandoquidem commotiones animi nostri, quippe intra nos positas, prospicere, si uelimus, possumus, et vel penitus eas reprimere, vel certe temperare et appetitui rationali subiicere. Id qua ratione fieri possit, nonne philosophi negotiose docent ac demonstrant? Demonstrationibus nihilominus tamen ipsorum in irritum apud illos quoque cadentibus, qui earum nexum pulchre perspiciunt, si tantum ad ostentationem plerisque omnibus seruiunt, non ad uitae emendationem; nihil sane est, quod praeceptorum suorum utilitatem tantopere apud alios iactent et dignitatem.

Piget recognoscere, quae de repraesentationum praeteritarum, per legem imaginationis, reproductione, delibatarumque tam voluptatum, quam taedii sensitiui, recordatione, ut generationem affectuum solide explicarent ac distincte, copiosissime ab eis in medium proferuntur. Nam licet recte haec dicantur omnia, utroque eis a nobis concedantur, tamen, dum paucissimos, qui haec norunt, emendari reuera, plurimos contra, qui subtilitatum istarum

nullum habent sensum, sincere virtutem colere, indubitata experientia constabit, parcant, velim, nobis ex animi sententia de omni ipsorum labore iudicantibus, eum in schola quantiuis esse pretii, in vita autem conformanda idem praestare, quod alba amuffis praestat in albo lapide. Ratio in promptu est. Vnis enim rerum moralium contemplationibus animum pascunt: exercitationes virtutum nullas ineunt: praxin pietatis insuper habent. Accidit hinc eis, quod mathematicis non paucis, qui problemata in tabula pingunt solvuntque et demonstrant, ceterum, praxeos securi, agri modum dimetiri nesciunt: vel quod grammaticae cuidam sectae, nostris quoque temporibus, quibus nihil discitur, nisi quod scientifice percipitur, enatae, quae cum linguam hebraeam ex primis causis tiro-nibus sese professa esset tradituram, illud post magnum conatum, aurei temporis et auri egit iacturam, vt, qui avidas eis accommodabant aures, acutissime de omni re differerent grammatica, hebraice nihil discerent. Alienissimum enim ab omni ratione est, vbi ipsa rerum natura praxin desiderat, velle in vna theoria conquiescere. Ac mathematicus, lubenter enim istorum vtimur exemplo, quod doctis omnibus, iudicio aetatis nostrae, videantur oculatio-res, non, inquam, mathematicus, vni theoriae deditus, ius-sus practica aliqua specimina, extra musei sui angustias, e-dere, si vir bonus est, excusare dubitabit sese ac libere pro-fiteri, non esse ab ipso desiderandum, in quo artem suam non exercuisset. Ille igitur, artis suae problemata scitissi-me soluens et ex primis principiis demonstrans, aperte vi-det, praxin scholae non sufficere ad praxin vitae: philoso-phi illud non vident, sed, si quis speculationes ipsorum pra-cticas addidicisset, eundem ad omnem vitam sapienter prudenterque ordinandam sibi fingunt praeparatissimum. Venit hic in mentem hominis, qui, cum subtilissime ethi-cae

caae suae enuclearet ac demonstraret praecepta, temperare sibi non potuit, quo minus in haec verba, paeana quasi canens, erumperet: impossibile esse, vtor philosophi verbo, vt huius eiusmodi ethicae ad regulas non virtuti quis studeat. Atque idem ille bonus vir, ineptissimae vitae suae instituto, factus non multo post est fabula vrbis, quam acumine et facundia sua perculerat, vniuersae.

Tam parum dignos exaggerata cognitione sua fructus edere, qui eius fama subnixi ambulant, cum secum reputarent et ad animum reuocarent nonnulli, reiecta penitus subtiliore rerum moralium doctrina, vniuersum pietatis studium ad assiduam reducendum esse exercitationem, vserunt. Viderunt illi aliquid: non autem eo acumine praediti, quo id, quod res est, perspicere in tanto negotio potuissent, facti sunt multiplicis erroris culpa proximi. Errabant enim primo, quod patronorum sublimioris cognitionis vitia in ipsa, quam profitebantur, sibi persuaserunt inesse cognitione; eamque ob rem omnem systematicam moralia docendi rationem in suspensionem adduxerunt, et tam verbis, quam suo exemplo, reprobarunt. Quo errore nihil dicere ac defendere potuissent grauius. Non mutat altior rerum indagatio veritatem, ac neque contaminat per se: si autem nihil per summam accuratorem docendi veritati decedit, nonne, sublimiore cognitionis gradu in crimen vocato, iniuriam in deum redire, necesse est; omnis namque veritatis fontem, distinctissime omnia cognoscentem? Non igitur cognitionis, qua vitiosi doctores praediti erant, acumen et subtilitas reprehendenda fuit: sed reprehendenda cognitionem, qua supra alios effulgebant, ad vsum et vitam transferendi negligentia: reprehendendus, si quis obseruabatur, abusus. Vsum vero ab abusu morum reformatores nostri discernere, prae tenuitate acuminis, nescii, committere non potuerunt, quin partim

tim ipsi, admissō vno errore, in plures concederent, partim signum praeferrerent infinitis aliis, male merendi de vniuersa, non morum tantum, sed etiam religionis purae, causa. Sumtis enim et in vulgus sparsis confusaneis axiomatibus, subtilitatem cognitionis in moralibus nihil esse, literalem esse et carnalem, quid ita sentientes cohibere potuit, quo minus pari impetu irruerent in dogmaticam partem, et, quidquid in ea altioris est indaginis, eodem supercilio despicerent? Et dogmaticas quidem veritates hoc magis in contemptum venire oportuit, quo minus expressum hebetioribus videntur in praxim vitae habere influxum.

Pie equidem crediderim, qui in alterum istud properarunt praecipitium, non mala mente grauius inuectos esse in doctores quosdam aevi sui subtiles, rem pietatis, praetheoriis suis, vsque ad iniuriam perfectae non nisi ex vtroque religionis, susque deque habentes. Vellemus tamen, dolori suo iustos posuissent limites: correpturi malos bonae causae patronos, non ipsam causae sollicitassent bonitatem. Qua in re an satis aequos se gesserint iudices et circumspectos, non leuis alicui dubitandi suboriri debet ratio, quod, qui a latere aut e scholis ipsorum sunt digressi, vulgo omnes contra sublimiorem rerum diuinarum cognitionem classicum cecinerunt, nec quidquam, praeter exercitia pietatis, commendarunt atque inculcarunt. Quid plebs? Illa vero, qua est rerum nouarum cupiditate, conditionem vltro accepit: detrectatura omnes, si per eam steterit, doctores, tanquam ad fruges tantummodo suas consumendum sibi datos: nulli praeterea iam rei vtilis, ex quo vnusquisque ipsorum, post alicuius temporis ἀσκησιν, et auditas παρανεσεις, satis sibi videbatur doctus et ad vitam eruditus. Cum eo insolentiae procedere non auderent, vt in exsilium doctores suos ablegarent, vnos in deliciis habitos vidisses veritatis insectatores, vatiniano odio confla-
grantes

grantes strenuos eius defensores. Confusionis finis fuit, vt, data quasi porta, in ecclesiam irrumperent schismata, indifferentismus, fanaticismus et scepticismus. Libertas enim, quam quiuis promiscue vsurpabat, statuendi de publicis doctoribus, eorum fruge, docendi regula cultusque diuini, cui pro muneris ratione inhaerebant, forma, multo plures ad defectionem inuitauit. Et alii quidem melius ipsi sibi sapere, melius rebus diuinis intra priuatas aedes vacare, videbantur: alii nouos colligere instituerunt coetus, in quibus nulli Iudaelschariotae locus foret; agrum ferere instituerunt, meros triticeos foetus, nulla intererante zizania, redditurum. Deinde, si nihil omnino refert, quid de deo rebusque sentias diuinis, dum morum integritati studeas et pie viuas, quae res suadere potuerit, vt vniam colas ecclesiam, ac non potius eodem omnes numero habeas, veritatis confessores et errorum sectatores iuxta aestimes? Quoniam tamen fieri non potest, quin vitae, quam ingressus es, instituti rationem reddas poscentibus (*), validiusque intra te ipsum disputanti respondeas conscientiae: si nulla ratione certa ducaris, quid restat, quam vt, vagus atque inconstans, dogmata viuendique fingas regulas; quas ipse identidem, imo in singulos paene dies, improbes atque infringas? Sed illud fanaticismo, hoc scepticismo proprium est. Tempora, quae viuimus, mores, quos videmus, adhibeamus in consilium, vt, recte an perperam, rationes istae a nobis subducantur, appareat. Atque haec de dogmatica parte, quam praecipue non poterant non pessumdare, qui penitiorum in moralibus cognitionem inuerunt euersum. Dato enim, quod dialectici aiunt, vno absurdo, plura dari, necesse est.

Sed neque pars ipsa moralis intaminata fulgere diu potuit. Nam vt pleraque officiorum nostrorum, multum quidem

(*) 1 Petr. III, 18.

quidem in exsequendo, parum vero in cognoscendo, habeant difficultatis, sunt tamen in illis aliqua, simpliciorum ac scrupulosiorum deprauationi facile obnoxia, nisi ab acutioribus ingeniis vindicentur suaeque restituantur integritati. At doctis de gradu deturbatis et multitudinis cedere coactis inuidiae, captu difficiliora illa male accipi, necesse fuit, ac peruertere. Faut incautis consiliis philosophandi quoddam genus inconstans et palans, temporibus illis familiare; quod tantum abest ut sufflaminare potuisset opiniones erraticas et fluxas, ut etiam adminiculetur. Verbi gratia. Quid homine, qui perpetuis affectibus molestis, siue ex taedio ortis, exeditur, miserius? Exhaust dolor acrior corporis vires, deiicit animi vigorem: quoue est diuturnior, hoc magis homini euadit infestior. Sana hinc doctrina moralis, ut maxime stoicam ἀπαθείαν, velut ab hominis natura alienam, explodat, immoderatis tamen etiam, iisdemque diuturnis, animum angoribus frangi non vult. Quid morum doctores noui? Nisi quis in tota vita tristis, seuerus, animo et vultu deiectus, appareat, suspirans et lamentans loquatur suaeque agat omnia, vere illum ad frugem rediisse, vix habent persuasum. Nolim vero contritionis actus, seriae resipiscentiae requisita, subuertere aut labefactare. Absit! sed gratos gratiae diuinae, per et propter saluatoris mundi meritum, vere contritis propositae, effectus seiungi a contritione nolo. Incendi resipiscentium animos ad contritionis actus non tantum excitandos, sed etiam alendos et protrahendos; non incendi ad spem, ad fiduciam inque bonitate dei acquiescentiam, probare haud possum. Non puluinaria substernenda, censeo, suauiter inter peccandum requiescentibus: sed neque iugum intolerabile imponendum, excusso peccatorum somno, consternatis. Iustum animorum discrimen institui volo; cum alii grauius sua propter commissam adfligi possunt,

possunt, alii lenius. Vnus vtrisque verae et seriae respicientiae character inculcandus, desinere scientem peccare volentemque: vel, quod Germani nostri significanter aiunt, **Nimmer thun, ist die beste Buße.** Opus fane nobis est, vel maxime ad deum conuersis, poenitentia quotidiana: sed hanc primum actae similem fingere, est hominem, sine intermissione peccatis sese contaminantem proaereticis, fingere. Vide mihi Dauidem, sub onere peccatorum gementem, quiritantem, adfluctum: sed idem ad divinae bonitatis radios vultum semper adtollit erectum. Vide mihi illum longe aliter, e mortali peccato euigilantem, turbari: aliter, quotidianam poenitentiam agentem, precari. Addo e multis aliis, vnum. Sunt actiones hominum morales in vniuersum triplices. Aliae quidem ex vna notione sua statim intelliguntur esse aut malae, aut bonae; quas per se malas, per se bonas, dixerunt veteres: aliae ex vna notione sua neutrius cognoscuntur esse generis; veteribus ea propter indifferentes per se dictae. Non quod, in exercendo, vel malis, vel bonis, non sint accensendae: sed quia, explorato demum agentis scopo, examinatis exsequendi mediis, consultis denique singulis temporum, locorum et personarum circumstantiis, iam malarum, iam bonarum, induunt naturam. At morum doctores noui simpliciter eas inter malas referentes ac repudiantes: cum non possint actiones per se malae bonae euadere vnquam, per se indifferentes, pro scopi, mediorum et circumstantiarum integritate, esse etiam bonae possint, nonne suo hoc iudicio multos damnarunt, viros cetera bonos, vitam hominis christiani persona ducentes dignissimam? Et, si *ἀδιάφορα*, quae dicuntur, actiones indifferentes sunt, vti re vera sunt; quis non videt feralium originem motuum, quibus ecclesia misere subinde vexata fuit? Nempe, non poterant non in actiones per se innoxias furere, qui eas in

C

sim-

simpliciter malis posuerunt: nec poterant non pro iisdem, tanquam pro aris et focis pugnare, qui eas in simpliciter bonis habuerunt.

Praxes denique dispiciamus, tantopere ad prouehendum inter homines pietatis studium collaudatas. *Δοκίμοις* erant sermonum et *παραινεσεις*, hymni et preces solemniores et frequentiores. Actiones omnes per se bonae: sed publice in ecclesiis prius exercitae, quam animosius commendarentur. Non nescio, publicis exercitiis tria in primis exprobrata fuisse vitia, nouoque in his rebus instituto obtenta. Ilicet! et a doctoribus ad ostentationem magis, quam populi aedificationem, conuerti iudicabantur, et apud auditores in meram abiisse censebantur consuetudinem, denique, vt recte sese haberent cetera, parum tamen frequentes ac nimis videbantur esse defunctoriae. Quomodo a doctoribus ad ostentationem conuersae? Non alios, aiunt, auditos ex ore ipsorum fuisse sermones, quam vel omnis generis eruditione refertos, vel oratoriis coloribus exornatos; e quibus sincerum ad auditores solatium redundare potuit omnino nullum. Dei tamen verbum, in repurgatis saltim ecclesiis nostris, semper sonabat: id vero si, per temporum vices, propositum a doctoribus fuit eo habitu, qui genium haberet aetatis, non reprehendendum per se, adeo illud doctoribus vitio vertendum non est, vt etiam prudentia ipsorum laudanda. Alio certe Paulus ipse apostolus in sua gente dicendi genere vtitur, alio inter graecae nationis homines; apud quos, ad sententias poetarum suorum se demittere, nullus dubitauit. Quod si qui siue eruditione sua inter docendum abusi sunt, siue eloquentiae vi, nulline in istis ipsis, qui mysticum, vel nescio quo alio nomine notandum, genus amplexi sunt dicendi, obseruati fuere abusus? Quod quidem nouerimus, non desuere, qui in eis notarent vocabula, et dicendi formas, et genus in vniuersum

sum orationis, quod multum prae se ferret caloris, parum haberet ponderis. Sed quid plura de his disputamus? quando doctores, quaecumque sequantur docendi formam, necessitatem subinde sibi impositam sentiunt, seruiendi temporibus prudenter; quod nisi faciant, se desertos sentient. Deinde, cum publica pietatis exercitia in meram apud auditores consuetudinem abiisse feruntur, hac quoque parte male hominum vitia ipsi confunduntur instituto, sapienti per se et salutari. An enim hac mente inita in templis fuerunt et praescripta, ut haberent, ubi tempus perderent otiosi, aut vani ostentarent sese? Nequaquam profecto: sed ut, tam rudiores de voluntate edocerentur diuina, quam officii sui etiam atque etiam admonerentur non indocti, si forte immemores eius viuerent. Cur igitur ad maxime pium tam parum homines se conformauerunt consilium? quia neque cultu diuino ex publicis aedibus ad priuatas domos translato, mores iidem suos exuerunt. Semper se ipsos improbi sequuntur, et malus animus ubique locorum eos ad praua quaeque instimulat. Et in priuatis quidem locis hoc plures subreperere abusus oportuit et vitia, quo amplior, et sine arbitris congregatis, et familiariter inter se coniunctis, data erat extra cancellos egrediendi copia. Experientia testimonium edat. At non satis frequentia publica, quorum causam agimus, pietatis fuerunt exercitia, nimiumque defunctoria fuerunt. At non defuerunt officii sui ignaris, pueris et adolescentulis, ex instituto piorum maiorum, quotidianae discendi virtutemque christianam exercendi occasiones, partim in scholis, partim in ecclesiis. Si muneris sui partes minus recte minusque fideliter obibant praefecti quidam studiorum et morum ipsorum, corrigenda erat imperitia, castiganda socordia, vnumque illud necessarium (*), quod prae ceteris

C 2 ris

(*) Lucae X, 42.

ris vrgerent; commendandum, et, an vrgerent, fedulo vi-
gilandum: non turbandi veteris disciplinae ordines, et
pueri atque adolescentuli ex publicis scholis ad priuatas do-
mos reducendi, vbi a paedagogis suis, nulli ephoriae sub-
iectis, quiduis de rebus fidei et bonis moribus sentire, doce-
rentur. Profecto, aut me omnia fallunt, aut si huic malo
praesens vbiq; adhiberetur medicina, decederet magnam
partem aegritudo, qua boni nunc omnes passim exeduntur.
Adulti autem, bonum a malo discernere docti, iussi quot-
hebdomadibus semel atque iterum manere in officio, so-
brie, iuste et pie agere; habituri quippe supremum olim
iudicem, et remuneratorem recte factorum, et grauem cri-
minum commissorum vindicem, affatim, quod domi per
reliquum tempus exercerent, habebant. Quis deinde in-
tercessit, quis obstitit, quo minus omni die in aedibus
suis cultui cum familia vacarent priuato? Si quis ta-
men putat, *ἀσκησεις* sermonum et *παραίνεσεις* solemniore
plus virium in animis audientium, ac suo in primis Marte
cogitata mentis expromentium, exserere, oblitus sane est
odii sui, quo in publicos flagrat doctores eosdemque irre-
genitos. Qui licet assidue generi huic operam dant exer-
citorum, non tamen mali esse desinunt. Est illud ita cum
moribus comparatum, vt, si quis pauca, quae didicit, sta-
tim ad vsum transferre non curet, facultatem is quidem
copiosissime grauissimeque de tota disciplina differendi si-
bi conciliare possit, vt nullam tamen doctrinae suae par-
tem exerceat. Quo etiam factum est, vt, nostra hac ae-
tate, multa feruentissime eam in rem dicta audiremus et
legeremus conscripta, pauca meliorum morum exempla
videremus. Ad preces et hymnos quod attinet: si pura
mente fundantur, si e labiis erumpant intemeratis, nihil il-
lis commendabilius, nihil suauius. Si absit animi inno-
centia et vitae integritas, vt maxime pietatis sint exercitia,
tamen

tamen non tantum in irritum cadunt, sed grauius etiam a sanctis dei uiris (*), grauius ab ipso Christo (**), sunt damnata. Usque adeo *non in sermone est regnum dei, sed in uirtute (***)*. Qua quidem uirtute sublata, monachismus ex claustris ad singulas domos reducitur.

Longiores haecenus in notandis auis, a recto tramite uiatores suos abducentibus, fuimus; quod, illud ad munus ueritatis amantium spectare, existimamus, notare errores, eisdemque propagam resistere, simul ac publicam et catholicam affectant auctoritatem. Breuius iam nobis genuinam exponere sententiam licebit. Quidquid enim defendendae ueritatis gratia recte dicitur, a nobis quoque ultro conceditur: quidquid ad commendandam pietatem bene monetur, libenter et a nobis arripitur. Duo utrumque nostrum interfunt. Nam neque ueritatis causam a pietatis praxi, neque praxin pietatis a causa ueritatis, disiungi uolumus; quod est uinum. Sed neque in subtili cognitione, neque in ascesibus sermonum et paraenesibus, cantibus et precibus, omne emendandae uoluntatis praesidium collocandum, putamus; quod est alterum. Si qui mediam nobiscum probant uiam, non illi in se accipient dictum, quod tantum in alterutram partem aberrantibus dictum esse uolumus.

Sententiae quidem nostrae summa eadem est, quam Christus dominus commendatam nobis reliquit. *Si haec, inquit, scitis, beatos uero uos! si eadem feceritis (*)*. Quibuscum conferri merentur Iacobi apostoli dicta. *Qui, inquit, in perfectam libertatis legem penitus introsperit, et in ea manserit, is, qui non sit obliuiosus auditor, sed operis effector, suo facto beatus erit (**)*. Officii itaque sui erga deum, erga alios, erga nosmetipsos tam cognitionem ab iis omnibus, qui ad uerae felicitatis metam contendunt, requirimus, quam assiduam cognitorum praxim, pari utramque passu semper ambulantem. Cognitionem officiorum nostrorum requirimus primo. Nam licet insitus naturae nostrae rationali sit bonorum et malorum, faciendorum atque omittendorum, sensus (***) , tamen nisi idem, uelut ignis, silicis uenis abstrusus, excudatur, nunquam percipiendum sese praebuerit. Si insita naturae nostrae dei defenditur cognitio, non quam ex utero matris adferimus, aut ex cunis nobiscum ad vi-

tam

(*) Esai. 15. Amos V, 23. (**) Matth. XXIII, 14. (***) 1 Cor. IV, 20. (*) Ioh. XIII, 17. (**) Iac. I, 25. (***) Mos. XXX, 11-14.

tam asportamus, sed ad quam admittendam pronissimi sumus, simul ac ratione uti incipimus; quidni vero insitam quoque naturae nostrae legum naturalium cognitionem asseruerimus (*); quae neque plus sublimitatis, quam cognitio dei summi, habet, sed neque ad alium collineat scopum? Cum vero insita haec mentibus nostris moralium cognitio non aliud sit, quam propensio assentiendi regulis et praeceptis, ad beatitatem nostram comparatis, nec, nisi in admonitis et institutis, eluceat, consequitur profecto, ut quisque officii sui admoneatur et de moribus rite instituatur. An vero operosa et subtili ad eam rem cognitione simpliciter est opus? Minime quidem; quandoquidem et pueros, et inter prouectae aetatis rudiores multos, nihil minus, quam ad assequendam demonstrationum subtilitatem et vim accommodatos, bonorum et malorum sensu affici, inditosque naturae ipsorum rationali instinctus praeclaros minore saepe cum lucta sequi, certum est, quam acutos et literis excultos. Atque ut, in infinitis praxibus aliis, notiones solummodo clarae non tantum ad artem exercendam sufficiunt, sed etiam distinctis saepe notionibus in exercendo praestant, sic et in usu morum idem toto accidit die. Quorsum igitur subtilior officiorum nostrorum cognitio facit? quorsum tam incitamentorum quam impedimentorum, ex primis causis, deriuatio? Eo facit primo, ut, si ad errores practicum genus hominum prae acuminis feratur tenuitate, acutiores e specula prospiciant, errantes moneant, et meliora sequi doceant. Deinde, si quis munus alios de moribus instituendi eosdemque ad frugem reducendi, vel in honestate confirmandi, accepit, melius atque expeditius partibus suis defungi potuerit, sublimiore rerum moralium cognitione instructus, quam qui ea est destitutus. Hoc opus, hic labor est primarius omnis sublimioris, in moralibus iuxta ac dogmaticis, cognitionis. Parum hinc intelligens, aut valde iniquus, tam civilis quam ecclesiasticae salutis aestimator sit, qui sublimiorem hanc cognitionem doctoribus et censoribus morum non omnino necessariam iudicet, omnemque operam inutilem esse iactet, quae in ea tradenda et ad singulos doctores propaganda, in scholis altioribus, infumitur.

At cognitioni, cuiuscunque ea gradus sit, statim ut hauritur, annexam esse debere praxin, contendimus. Quod nisi fiat, voluptatem, qua afficimur, ardorem, quo incendimur, cum primum veritatis lumine collustramur, sensim euanescere, imo in taedium deni-

(*) Rom. II, 14. 15.


que


que conuerti, eaque ratione homines scientes volentesque in vitia
ferri ac ruere, oportet. Quae etsi per experientiam abunde confir-
mentur, age tamen, in rationes a priori inquiramus. Quum nempe
veritatis lumine primum collustramur, gaudemus didicisse, quod
ad felicitatem nostram faciat prouehendam; quis enim felicitatis
non trahitur studio? At quoniam felicitas non nisi regulae, quam
didicimus, praxin comitatur, si quis perceptam ad usum transferre
omittat, prouectae ad maiorem gradum felicitatis sibi conscius non
est; non habet hinc, quod gaudere pergat. Si prauis ita capiatur vo-
luptatibus, cognitae veritati e diametro oppositis, vt nolit nuntium
eis mittere, veritatis, adamas cupiditates suas moleste interpellan-
tis, taedio non tantum capiatur, sed odio etiam in eam armabitur.
At cognoscens, quae sui sunt officii, cognitaque exercens, recte fa-
ctorum conscientia laeta fruitur; quae laetitia tantos ei stimulos ma-
gis magisque in virtute proficiendi addit, quantos nullae demon-
strationum catenae suffigere possunt. Atque his prima iterum suf-
fragantur principia. Pariunt enim experiundo cognita cognitio-
nem viuidissimam: symbolice cognita cognitionem distinctam
quidem, minus tamen viua. Vt si quis amicum vulneribus con-
fectum, cruentatum et animam adspiciat agentem, nonne acrius
commouebitur, quam si iniquissime habitum tantummodo audiuis-
set? Nonne, qui rei laetae interest, cumulatus gaudet, quam qui in
partem laetitiae vocatur absens? Quisquis autem pietatis tantummo-
do audit, non exercet, praecepta, symbolicam acquirit cognitionem;
quae parum viua esse solet: qui audit et exercet, intuitiuam conse-
quitur cognitionem; quae semper est viuidior. Breui: et nosse nos
oportet singula officia nostra, et cognita ad vitam transferre omnia;
sic fiet, vt per hoc pietatis et practicae veritatis connubium, in studio
pietatis proficiamus re vera, felicesque euadamus certissime. Sic
compositi, sic animati, an committere potuerimus, quin in laudes
dei opt. max. a quo ad tantam conditi sumus beatitatem, sponte e-
rumpamus? eiusque in omni, qua premimur, difficultate auxilium
imploremus? atque adeo precibus et hymnis pro eo, ac comparata
haec decet esse exercitia, vacemus? Hic vero ingenuum mihi dari
hominem volo, nihil in recte a se factis ambiciosius admirantem, ni-
hil in perperam gestis temere excusantem! enimvero sentiet, quam
facile homines, partim per ignorantiam praecipitantiamque, partim
affectuum vi superati, labamur. Si sentiet, agnoscet etiam diuina-
rum

rum literarum in exaggeranda corruptione humana auctoritatem, christianaque religionis praestantiam, et peccatorum praeteritorum, per Salvatorem mundi, nobis proponentem veniam, et vires ad resistendum irruentibus malis, in virtute spiritus sancti, nobis offerentem. Quo magis sincere in officio suo perstiterit, magisque diligenter ad singulas actiones suas animum aduerterit, hoc magis sentiet verissime de sua Christum praedicasse doctrina. *Si quis, inquit, volet voluntati eius obtemperare, cognoscat de doctrina, utrum ea sit a deo, an mea sponte loquar.* Ioh. VI, 17.

Haec ex veteri instituto commentari, ceterum doctis Athenis nostris orationem indicere voluimus solemnem, ad diem, qui proximus est, IV. Nouembr. horis locoq; consuetis, habendam. Dicemus in ea *de Zeli et charitatis in persona theologi concordia.* Cum enim Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus FRIDERICVS, SVECIAE REX, HASSIAE LANDGRAVIVS, RELIQVA, Rex ac Dominus noster longe clementissimus, grauisimo benignissimae voluntatis suae interprete Serenissimo Principe ac Domino GVILIELMO, HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQVA, suo per prouincias Germanicas Vicario Supremo, Principe pariter ac Domino nostro clementissimo, Professoris theologiae primarii munus, in hac inclita academia, indulgentissime ad me detulisset, sollicitusque, vt debebam, essem de argumento, quod arduae prouinciae, Summorum Principum suffragio mihi demandatae, quadamtenus responderet, multis, quod iam significauit, nominibus prae ceteris mihi sese commendauit. De quo, ad condictum diem, verba facturum vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRO-RECTOR, OMNIVM ORDINVM PROFESSORES CELEBERRIMI, GENEROSISSIMI ET PRAENOBILISSIMI COMMILITONES, AC QVOTQVOT SCIENTIARVM BONARVMQVE LITERARVM DECVS INTER NOS DEFENDVNT AC TVENTVR, frequentes ac placidi audire velint, qua pars est obseruantia humanitateque, oramus, quaesumus. Dabunt illud si minus precibus nostris, pietati tamen suae in Regem maximum, Supremum eius Vicarium, Principem Iuuentutis, totamque Serenissimam domum Hassiacam, dabunt; pro cuius maiestate, gloria, incolumitate et felicitate perpetua, non dubitamus, quin, vt quisque Hassiae nomine delectatur, Principum, a quibus regitur, prouidentiam, sapientiam, clementiam et munificentiam admiratur, deque sua sibi sub mitissimo imperio salute gratulatur, ita castas nobiscum preces coniungere et congeminare certaturus sit.

D. Rintelii d. XXXI. Octobr. clo 10 cc XLIX.






vlla eos scelerum subeat po
conscios; vt et voluptate per
fi, id se egisse, quod bonos
mio grauius in dies peccare
Saulus iustas poenas luere
laetatur in sinum: atque ec
teras, quibus munitus plures
coniiciat, et ad supplicia tral
deinde atque detestans error
rantiam suam accusat (**
potius, quam sacrae opinior
trumque. Peccare se in gra
stes, ignorabat: credens, se
cere gratissimum, errabat.
res hominum corrigantur et
tiorum deminuatur lolium,
rescat, dispellere ignorantia
nebulas disiicere, veritatis
neri circumferre.

Sed de his nulla est discep
do, si qui vel maxime bonoru
discrimen, bonum sine vllor
dent, reprobent ac detestent
lentesque bona, in praxi vit
tur? In duas hic, cum alias, t
ria, doctores iuxta ac censo
dimus sententias. Alii distin
guebant defectum, quo ho
et malis, iisque veris et ap
tantummodo iudicio et rati
que omnes laborent. Capu

(*) Act. VIII, 1. et IX, 1. 2



nullius culpaē sibi
peccando, persuas
voluptatis prae
Errore deceptus
rem Stephanum,
flagitatum abit li
ephani, in vincula
a (*). Damnans
verfabatur, igno
odo ignorantiam
? Recte habet v
uinae veritatis te
acerbitate sua fa
ntum est, vt mo
que in melius, vi
ntum seges efflo
errorum nubes et
erfo humano ge

quaeritur, quomo
que non ignorent
rore et commen
cientes tamen vo
mala amplexen
in primis memo
abiisse deprehen
ae cognitionis ar
iscernendis bonis
id est, sensuum
ine talibus, pleri
i in emendatione
intel
im. I, 13.